



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 35. Arrhæ dataein pignus matrimonii contrahendi an, cui, & qualiter reddendæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

## CAPUT IV.

## De arrhis &amp; Sponsalitia liberalitate.

*Quest. 32. Arrhæ quid importent, & quæ earum natura.*

**R** Esp. ad primum: Sumuntur primò minus propriè pro ipsis Sponsalibus; *l. 1. c. si nuptiæ rescripto petantur.* Secundò magis propriè pro eo, quod à Sponso sponsæ, vel contra datur in pignus promissi matrimonii contrahendi *l. 3. & l. fin. c. de Sponsal.* Tertio pro donatione facta à Sponso sponsæ in remunerationem pudicitia, nobilitatis vel dotis sponsæ, quamque sponsa lucratur soluto matrimonio; quæque successit donationi propter nuptias hodie abrogatæ, quæ aliàs soluto matrimonio redibat ad virum donantem, sicut ab uxore tradita viro redibat ad uxorem.

2. Resp. ad secundum: Ea est natura arrharum, quæ pignus sunt matrimonii contrahendi, ut fidei violator eas amittat, *l. arrhis. l. fin. c. de Sponsal.* congruentia verò præcipua, cur hæ arrhæ amittendæ, cum & earum amissio sit pæna quædam, quæ potius permittuntur à jure, quàm alia pæna sponsalibus adjecta, hæc assignatur à Castrop. *de sponsal. p. 12. §. 1. n. 1.* quod arrhæ (utpote statim tradendæ, cum aliàs à pura pæna non differrent. *l. mulier. l. arrhas. l. fin. c. de sponsal. Sanch. l. 1. d. 35. n. 3. Gutt. de mat. c. 18. n. 3.* apud Castrop. *l. c. n. 2.* quamvis tamen etiam arrhæ promitti, & loco illarum pignus æquivalens dari possit, *Castrop. l. c. Cöninck. d. 22. du. 3. n. 13.*) in exigua quantitate & matura deliberatione concedi solent; pæna verò, quia non traditur, sed promittitur, facilè & incaurè in magna quantitate offertur; dum homines faciles sunt in promittendo, difficiles ad tradendum. Porro an & qualiter arrhæ probeantur confessione recipientis, vide apud Castrop. *l. c. n. 3.*

*Quest. 33. Num arrhæ utrimque constitui possint.*

**R** Esp. Quamvis communis sententia teste Sanch. *l. c.* id neget; eò quod hæc arrharum mutua traditio videatur superflua, dum superfluum est dare aliquid, ut tantundem recipiatur; arg. *l. qui sic. ff. de solutionib.* tamen tanquam probabilius defendunt Castrop. *l. c. n. 9.* Sanch. *n. 14.* Gutt. *c. 18. n. 8.* Ponr. *l. 12. c. 19. in princ. Cöninck. d. 22. du. 13. n. 15.* eo quod leges non reprobent illam mutuam arrharum donationem, sitque ea utilis, etiam dum arrhæ constituuntur utrimque in eadem specie & quantitate; siquidem fidem violans perdit arrhas datas, & restituere debet acceptas, innocente recuperante datas & retinente acceptas; citata autem *l. qui sic.* loquatur de alienatione, in qua tantundem recipitur, absque obligatione illud reddendi.

*Quest. 34. num arrha constitui possint tam in specie, V. G. fundo, quàm in quantitate, & quidem in quacunque quantitate.*

**R** Esp. ad primum affirmativè. Covar. *de sponsal. p. 2. c. 3. §. 7. n. 7.* Cuchus. *Inst. mor. tit. 12. n. 203. & 207.* Gutt. *l. c. n. 7.* Sanch.

*d. 35. n. 12.* quos citat & sequitur Castrop. *n. 7.* contra Abb. *in c. gemma. b. t. n. 8.* Butt. *num. 8.* Anchor. *n. 10.* Brunell. *de sponsal. concl. 10. n. 3.* nam imprimis non reprobantur tales arrhæ à jure, licet in *l. fin. c. de sponsal.* non fiat mentio nisi arrharum in quantitate constitutarum; potestque non minus constitutarum in specie dari possessio, verè realiter, vel etiam fidè per clausulam *constitui*, sicut in contractu emptionis & venditionis; possunt etiam duplicari, si non in eadem specie, saltem in æstimatione.

2. Resp. ad secundum: in eo non conveniunt AA. in magna quantitate constitui posse negant Jo-and. in *c. gemma. b. t. n. 9.* Abb. *ibid. n. 8.* Brunell. *concl. 16. n. 4.* Sylv. *v. Sponsalia. q. 9. dicto 2. & c.* eò quod ideo concedantur, & reprobatur pæna apposita Sponsalibus; quia arrhæ non censentur minuire libertatem, utpote quæ dantur in exigua quantitate; pæna autem, utpote promissa, non tradita, in magna constitui solear. Non debere excedere quantitatem dotis, vel donationis propter nuptias, & iis cessantibus, quantitatem præscriptam *l. jubemus. ff. de repudiis.* tenent Bart. *in l. Titia. de V. S. n. 5.* Cuchus. *l. c. à n. 20.* Salicet. *in l. fin. de Spons. n. 15.* eò quod apud Romanos matrimonium contractum dissolvens non amittebat nisi dotem; adeoque æquum non sit per dissolutionem Sponsalium, quæ sunt minoris momenti, plus amitti. Denique quod constitui possint in quacunque quantitate, tenet Castrop. *ut. §. 1. n. 6.* eò quod leges permittentes eas loquantur indistinctè absque ulla limitatione; adeoque licet in iis militer eadem ratio, quæ in pæna, adhuc dispositio de pænis non sit extendenda ad arrhas; cum leges odiosæ & restrictivæ ex sola identitate rationis ad similes casus non extendantur; quamvis insuper sit disparitas in hoc, quod saltem plerumque arrhæ dentur in minore quantitate, & utpote jam datæ, amittantur suavius & facilius.

*Quest. 35. Arrhæ data in pignus matrimonii contrahendi an, cui, & qualiter reddendæ.*

**R** Esp. primò, arrhæ, cum contracto matrimonio jam non possunt amplius habere rationem pignoris matrimonii contrahendi, reddendæ sunt ei, à quo datæ, *l. fin. c. de sponsal.*

2. Resp. secundò: si matrimonium ob culpam tradentis arrhas non contrahatur, is simpliciter amittit eas, & eæ remanent apud recipientem; si verò non contrahatur culpâ recipientis eas, & qui vicissim non dedit arrhas, is eas superaddito tanto, quanti valent arrhæ, restituere debet; *cit. l. fin.* Minores 25. annis non tenentur nisi arrhas restituere, sive ipsi, sive eorum parentes, aut tutores nomine eorum promittentes matrimonium eas receperint. Ad hæc citat, *leg.* permissum contrahentibus non minoribus 25. annis convenire inter se, non solum de restitutione arrharum, sed etiam de reddendo duplum vel triplum ultra arrhas.

*Quest.*